

Gummelstrand

M-s. 201
3.

295.

PIAM AC RELIGIOSAM
NATALIS DOMINI
CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE
PRORECTOR
SIGISMUNDVS IACOBVS
BAVMGARTEN

THEOL. D. ET PROF. P. O. SEMINARII THEOLOGICI
DIRECTOR ALVMNORVM REGIORVM EPHORVS REGIAEQVE
ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMBRVM

VNA CVM
DIRECTORE CANCELLARIO
AC RELIQVO
SENATV ACADEMICO
INDICIT
CIVIBVS.

SIMVL
DE
FORMA SERVI A CHRISTO SVMTA
BREVITER DISSERITVR.

HALAE
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI MDCCXXXXVIII.





um memoria omnium beneficiorum Dei
diligenter renouari meretur, tum illud
in primis in iis fieri decet, quae magni-
tudine sua non minus quam amplitudine
reliquis praestant, atque ita comparata
sunt, vt ad totius humani generis salu-
tem quam maxime pertineant. Principem vero sine dubio inter
illa locum obtinet, quod Deus immortalis, aeterna mortalium mi-
sericordia commotus, filium humana natura tempore definito in-
dit, eumque gratiae conciliatorem vnicum omnibusque nume-
ris absolutissimum constituit. Hoc enim beneficium fons est reli-
quorum omnium, quae nobis Deus in Christo contulit, eamque
ob caussam maxime dignum, vt animos in eius consideratione de-
figamus, tantique benefici auctorem laudibus efferamus ac vene-
remur; vt denique de tanto Dei planeque immerito in nos amore
nobis, vobis, Ciues optimi, imo vniuerso humano generi gratu-
lemur, nosque ad decentem ac dignum illius usum mutuis cohor-
tationibus exacuamus. Cum vero id omni tempore conuenit,
tum maxime illo tam insignis amoris diuini frequens recordatio

A 2

ac

ac laeta commemoratione ad officium nostrum pertinet, quod pii maiores, homines religiosissimi, rei huic laetissimae sacrum ac dicatum esse voluerunt. Quoniam igitur tempus hoc, Dei immortalis beneficio, rursus viuendo attigimus, quo totus Christianus orbis laetissimis vocibus de oru Seruatoris personat, nihil sane et nobis et vobis indignius esset, quam tanra de re aut plane silere, aut ea non valde laetari, quae tamen omnium commemoratione, laudibus, et gaudiis quam maxime celebrari meretur. Ne ergo in nobis iure aliquid desiderari queat, traditum a maioribus morem etiam in praesenti merito ac lubenter usurpamus, scriptoque publice proposito vos. Cives optimi, officii vestri non solum debiti, verum etiam vobis, si homines estis, admodum iucundi, admonemus. Vestrum ergo erit hos dies ita agere, ut appareat, aures vestras ad voces cohortationesque nostras non fuisse clausas, sed valere adhuc aliquid apud vos, ut par est, amorem Dei, meritam Seruatoris, et commemorationem beneficii, quod ipsi coelestes legati laetissimis plausibus atque acclamationibus orbi terrarum annunciauerunt.

Quo vero eo facilius, eo quo intendimus, peruenire possumus, constitutum nobis est, cohortationi nostrae breuem *de forma serui a Christo bomine sumta* disputationem praemunire, ut et nobis et vobis eo magis constet, quantum pietatis mysterium sit, quod *Deus in carne manifestatus est*. Occasionem vero argumentum, quod delegimus, tractandi, praebet nobis notissimum illud Pauli effatum; (Phil. II, 5. 6. 7.) *ea mens sit in vobis*, inquit, *quae fuit in Christo Iesu; qui in forma Dei existans, non rapinam duxit esse aequalem Deo, sed se ipse exinanivit, formam serui sumens*. cert. Omnia accuratius excutere atque explanare, quae grauissima hac apostoli sententia continentur, breuitatis, quam custodiendam censemus, ratio, ipsarumque rerum et multitudo et grauitas, non permittit; quam ob rem de eo tantum disquirere placet, quid fibi *forma serui* velit, quam Christus homo factus sumisse dicitur. Quo vero argumento huic maximo nec omni plane difficultate carrenti eo melius satis faciamus, nostram de eo disputationem *tripartitam* facere eoque pacto instituere consultum arbitramur, ut primo inquiramus, ex quo fonte apostolus in hac sua de Christo oratione, et nomen *formae serui* et rem nomine significataam duxerit; *deinde* vero accurate explicemus, quibus in rebus illa serui forma

forma a Christo sumta ponenda sit; *denique autem fines demonstremus, ad quos omnia cum ab ipso Deo et Christo relata sint, tum etiam a nobis referri debeant.*

Primo igitur loco illud in considerationem venit, ex quo fonte apostolus, de Christo disputans, et nomen *formae serui* et rem verbis his significatam, hauserit. Solenne vero maxime fuit legatis Dei cum in reliquis, tum in primis in doctrina de Christo tradenda, scriptores diuinos librorum V. T., aut diserte laudare, translatisque ex monumentis eorum sententiis eos testes sibi plane consentientes citare, aut saltem, praetermissa licet, diserta illorum mentione, eos tamen spectare, atque toto orationis genere tacite nos ad illorum volumina remittere. Quod quin etiam hoc loco a Paulo factum sit, iure nemo dubitare poterit, qui secum reputauerit, quam frequenter Messias, in scriptis prophetarum, nomine *serui Dei* appelletur. Sic Deus apud Iesaiam; (c. XXXII, 1.) *Ecce seruus meus, inquit, quem sustineo, et electus meus, quo elector;* ac simili ratione; (c. LII, 13.) *Ecce sapienter aget seruus meus, et extollebit, et eubetur et eminebit valde.* Adiunge etiam Iesaiæ (c. XXXIII, 24.) vbi Messias seruire me fecisti, inquit, *peccatis tuis, fatigasti me iniquitatibus tuis.* Similia leguntur apud Ezechielem (c. XXXIII, 23, 24.) *Praeficiam illis, inquit, unicum pastorem, qui pascat illos, seruum videlicet meum Davidem.* Hic pascet illos et pastor illorum erit. Et ego Iesous Deus illorum ero, sed seruus meus David princeps illorum erit. (conf. etiam c. XXXVII, 24, 25.) Subiicimus denique effatum Dei apud Zachariam (c. III, 8.) *Subiicimus seruum meum Zemach.* (*) Imo videtur apostolus, *Ecce adducam seruum meum Zemach.* (*) haec

(*) Trahunt etiam hic interpres nonnulli verba Pf. XXXX, c. 7, quae ad conditionem Messiae seruilem significandam, ita verti volunt; *bosiam et mincham noluisti, aures perforasti mibi,* sibique persuasum habent, spectari legem diuinam (Exod. XXI, 5. 6.) de serui libertatem recusantis auricula offio aedium Domini adfigenda. Hos, quoniam ex parte censem quod nobis probatur, sententiam dividere iubemus et sequimur. Probatur nimis, quod rem ipsam, quae forma serui signatur, hic quaerunt, obsequium nimis, quia a Seruatori præstitum. Displacet vero, quod verba, *כָּרִית לְיַהְוֵד*, ad legem illam, de perforanda auricula seruorum, pertinere putant. Melius enim verba illa verti *effodisti mibi aures,* et ex Iesaiâ L, 4, 5. 6. illustrari putamus, vbi Messias simili plane ratione suum erga patrem obsequium declaratur, *excitat manem manę, inquit, excitat mibi audem, ut audiam, sicut discipuli, Dominus Deus aperuit mibi audem.* Quemadmodum igitur exci-

haec scribens, nonnullos ipsius Seruatoris sermones in animo habuisse, de hac serui persona a se susceptra testantis. Licit enim ipse Dominus in scriptis N. T. nunquam se δελός sive *seruum* appellat, nisi forte similitudinem illam cum nonnullis (Luc. XIII, 17.) huc referas, cuius tamen per similitudinem naturam alia ratio est; sed potius se, etiam in his terris adhuc versans, ut maiestati suaē decorē caueret, a seruis reliquis accurate distinguat; (conf. Matth. XXI, 33. sqq. et Ebr. II, 2. sqq. Io. XIII, 16. etc.) multa tamen alii verbis paulo mollioribus dixit, quibus res ipsa significatur. Sic ambitiosam indignationem concertationesque discipulorum de principatu, proponendo exemplo suo compressurus, *filius hominis*, inquir, *non venit, ut ministeria exigere sed ut praefare, vitamque pro multorum salute profunderet.* (Matth. XX, 28.) Et alio loco eandem rem agens, *quis est maior, inquit, num ille, qui mensae accumbit, an ille, qui ministrat? nonne ille, qui accumbit? ego vero inter vos sum sicut ministrans.* (Luc. XXII, 27. conf. etiam Rom. XV, 8.)

Accedimus iam ad alterum idque grauissimum disputationis nostrae caput, inquisituri, quibus in rebus illa *serui forma* a Domino sumpta ponenda sit. Quod ante quam explicemus, illud statim in principio obseruandum est, serui formam a Christo sumtam propriè quidem et proxime ad humanam illius naturam pertinere, nec tamen humanam naturam ipsam per se significare. Quod si enim statuas, *formam serui* in Christo dictam, ipsam Christi naturam humanam dicere, ex eo consequatur necesse est; Christum quoque in statu suo glorioso adhuc in forma serui existere, quoniam humanam naturam in illo omnino retinuit; quod cum plane absurdum sit et sacris litteris repugner, facile appetet, formam serui, non ipsam Domini naturam humanam, sed certam illius conditionem dicere, quae quippe ad tempus modo et ad munera in his terris praestandi rationes accommodata, mutari ac ponni a Domino et potuit et debuit, ipsa natura humana remanente. His ergo, ad omnem errorem caendum, sollicite praemunitis, iam facile erit

ad

tare et aperire aurem, hic idem est atque attentum et docilem aliquem reddere ad precepta et imperia accipienda; ita effondere alicui aures idem sonabit, ac proinde ad obsequium Christi in formā serui præstitum omnino pertinebit, licet propter discrepantiam orationis in vitroque loco, verba ex lege illa de seruorum auxilia perforanda translatā esse negemus.

ad intelligendum, quid sibi *forma serui* velit; signatur nimirum
hoc nomine conditio illa humilis, molesta, dura, laboriosa, con-
temta, quam Christus homo factus simul atque libenter, nostri
amore suscepit, et usque ad excessum ex hac mortali vita retinuit,
seruorum in ea similitudinem gerens; quorum conditio apud ve-
teres, ut neminem fugit, durissima ac vilissima fuit. Comprobat
hanc interpretationem μορφη Θεος *f. forma Dei*, formae serui satis
perspicue opposita. Cum enim *forma Dei*, in qua Christus homo
exstitisse dicitur, non ipsam diuinam naturam significare queat,
quia Christus illa se abdicasse legitur; sed potius patefactionem et
usum maiestatis diuinae, cum natura humana, propter arctissimam
diuinae naturae coniunctionem, communicatae signet: forma serui
per rationem contrariam humilitatem illam ac demissionem natu-
rae humanae significabit, in qua Dominus nostra causa per totam
hanc mortalem vitam exsistere voluit.

His ita generatim expositis, rei grauitas et magnitudo non
minus, quam instituti nostri ratio postulat, ut illa speciatim expli-
cemos et pluribus persequamur, in quibus Dominus serui formam
ac similitudinem gesit. Tribus vero rebus ea maxime contineri
arbitramur; *primo* enim forma illa ac similitudo serui apparuit in
humili, vili atque etiam inopi ortus, cultus externi totius, ac vi-
ctus conditione; *deinde* in actione totius vitae, munerisque admi-
nistratione, ac *denique* in ratione actorum fatorumque illius ultri-
morum. Primo ergo forma serui, siue summa illa ac voluntaria
Domini demissio, in humili atque inopi ortus, cultus externi to-
tius, ac victus conditione conspicua fuit. Quod enim ad huma-
num Domini ortum attinet, ex historia euangelica satis constat,
quam tenuia, obscura, ignobilia omnia in eo fuerint; vix locus in
praesepi concessus; nullus ibi apparatus earum rerum, quae vel
apud mediocres homines, dum nascuntur, curari et in promtu esse
solent; nulla praeterea orti tanti Regis publica significatio ac cele-
britas; adeo ut, auditio a Magis de nato Iudeorum rege nuncio,
Herodes non solum eo, sed totus populus Hierosolymitanus, tan-
quam re adhuc plane omnibus incognita, grauiter percelleretur.
Quae primi ortus ratio adeo tenuis, atque minime illustris haud
leue profecto ingentis submissionis argumentum in natura Christi
humana fuit. Destinatus enim erat a Deo, regno non solum Isra-
elis, nec solum orbis terrarum, sed totius mundi. Tanta prae-
terea

terea erat ac tam nota generis, quod a Dauide potentissimo rege ducebatur, antiquitas et nobilitas, ut sane maiori se iure *nobilem*, siue illustri loco natum, appellauerit, (conf. Luc. XVIII, 12.) quam quisquam regum aut principum, qui etiam hodie orbis terrarum imperium inter se diuisum tenent: quorum sane nemo sine vana iactantia gloriari aut admirare audebit, se tantam generis sui ac nobilitatis antiquitatem ac splendorem, per tot imaginum successiones, certo demonstrare ac probare posse, atque illud in genere Christi, ex idoneis ac fide dignis monumentis recentendo, factum est; etiamsi modo a Dauide, nedum ab Abrahamo, maiores illius numerare velis. Quae cum ita sint, magna sane submissio Domini ac Regis tanti hominis nati inde elucet, quod amore erga nos plane singulari atque inusitato commotus, iure suo non vti, ac non solum non supra alios, propter generis claritatem eminere, verum etiam longissime infra illos conspicui voluit. Quod igitur apostolus supra (c. 6.) adfirmat, *Christum Iesum, in forma licet Dei existantem, non tamen duxisse rapinam το εστι αεqualem Deo;* illud sane etiam ab hanc rem, quam modo terimus, commode transferri et debet et potest, atque idcirco dici, Christum generis licet antiquitate et gloria praestantem, ac cum magna aliorum excellentia natalibus clarum, minime tamen rapinam duxisse, το summis regibus orbis terrarum hac in re parem imo etiam longissime superiorem esse, sed se ipsum sua voluntate exinanuisse.

Eadem praeterea humilis serui forma ac similitudo longe euidentissime conspecta fuit in toto optimi Servatoris externo cultu, vicecumque. Quod enim primo ad cultum externum habitumque attinet, nihil quidem sordidi aut indecori, aut quod dissolutam minimeque probandam negligentiam argueret, in eo fuisse, certum habemus. Ordinis enim ac munditiae, minime quidem exquisitae atque odiosae, quae leuium ac vanorum hominum est, sed tamen decentis atque ab omni inhumana negligentia abhorrentis, studiosum atque amantem fuisse Dominum, cum summa illius animi morumque sanctitas credere iubet, tum etiam acta, dicta, et praecepta aliis data satis docent: (conf. Marc. VI, 40. Io. XVIII, 23. 1Cor. XIII, 33. 35. 37. 40. 2Thess. III, 6.) immunditia enim et fordes in cultu etiam externo, sponte contractae atque adamatae, minime conditionis alicuius, quamvis humilis ac vilis necessaria, dolenda

dolenda licet indicia, sed hominum vitia sunt, a quibus castissimus Seruator remotissimus omnino fuit. Interim tamen illud satis exploratum est, omnem non solum splendorem ac magnificentiam ab externo Domini cultu abfuisse, verum etiam tenuia omnia atque haud raro dura fuisse. Praeterquam enim quod animus Seruatoris submissus, re vera tamen magnus, ac proinde non caduca, brevia, et adspectabilia, sed aeterna ac coelestia spectans, ab huiusmodi rebus tam cito se mutantibus ac labentibus alienus fuit; ipsa quoque paupertas atque egestas, quam nostro bono sua voluntate suscepit atque pertulit, externi apparatus vel mediocris comparationem verabat: hinc, *nostis enim*, inquit apostolus, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui licet diues esset, pauperem tamen egit*, (2 Cor. VIII, 9.) et ipse Dominus locupletissimus eorum, quae experiebatur, testis, *vulpeculae speluncas habent*, inquit, *et volucres sub coelo nidos, at filius hominis non habet, quo caput suum reclinet*, (Matth. VIII, 20.) quae rerum, etiam ad vitae vel necessitates vel mediocres commoditates pertinentium, haud infrequens apud Seruatorem in opia in causa quoque fuit, ut illi, qui splendidum ac magnificum Messiae habitum, cultum, apparatum, incessum, atque comitatum, mentis et opinionis errore sibi finxerant, nihil minus sibi persuadere potuerint, quam Iesum esse illum, quem ceteroqui votis suis tam ardenter expetierant; ipsa quippe illius praesentia atque externo adspectu exspectationem illorum magnopere fallente. Quod ad victimum attinet, illius quidem tenuitatem iam olim a sapientibus magnopere laudatam atque commendatam esse, et hodie quoque laudari et commendari nouimus: sed quotus quisque est, qui eam lubenter sequatur, cogitans, naturam paucis esse contentam; in primis si facultates habeat mensam multis exquisitisque epulis construendi, nec praetererea avaritia suum defraudare genium, aut corporis imbecillitate cupiditates suas refrenare cogatur. Christus vero, Dominus licet et haeres rerum omnium, non solum esuriisse ac sitiisse legitur, sed etiam potestate sua victimum miraculis comparandi, qua in gratiam aliorum saepius ac libenter usus est, sua causa ne semel quidem vti voluit; quo omnibus luculentissime constaret, eum omnia, quae aut fecit, aut pertulit, non ad suas utilitates sed ad alienas retulisse.

Deinde vero illa quoque serui forma ac similitudo, ut supra diximus, in totius vitae actione, munerisque administratione ma-

xime conspicua fuit. Generatim autem illud in eo ponitur; quod Dominus, cum sui iuris atque in sua potestate esse, ac proinde suo non alieno arbitratu viuere potuisset, noluit tamen hoc suo iure vti, sed potius se ipse emancipauit, atque ad aliorum arbitrium ac voluntatem curicra agere decreuit. Haec enim seruorum maxime conditio erat, vt in omni vita suo plane arbitrio carerent atque ita in Dominorum potestate essent, vt se rotos ad Dominorum voluntatem et imperia conformare cogerentur. Serui ergo similitudinem in eo pariter gessit Dominus noster, quod legi se subiecit, quam ipse tulerat, et quae ipsi, etiam qua homini, scripta non erat, ac proinde nolenti imponi haud potuisset. Licet enim omnis natura creata per se legi diuinae omnino, propter id ipsum quod creata est, subiecta sit, ac parere cogatur: alia tamen ratio est naturae humanae Iesu; quae per se constans, nec vlo tempore solitaria existens, sed a primo sui ortu naturae illius diuinae arctissima et indissolubili societate coniuncta, ea lege per se ac sua causa obstringi ac teneri non potuit, qua reliquae naturae creatae merito imo necessario tenentur. Quod itaque Christus, homo quidem verus, sed plane singularis ac sine exemplo, nihilominus legi subiectus et fuit et vixit, id non solum indicio est, factum id esse per voluntariam optimi iuris abdicationem, sed simul etiam argumento, Dominum, qui profecto nihil frustra facit, illud non sua sed aliorum causa ac vice fecisse. Vera ac certa haec esse quae diximus, nec incertis solum coniecturis nitit, ipsa Domini effata hand pauca comprobant. Sic violatae legis de Sabbato, licet falso atque iniuria, haud semel accusatus, non solum crimen per se falsum sibi illatum depulit, verum etiam plura sibi, quamvis homini ex Iudeorum gente orto, ea in re licere, quam vlli alii eiusdem gentis, grauiter monuit, palam adfirmans, se lege Sabbari per se adeo non teneri, vt potius Dominus Sabbari ac proinde supra legem illius sit, ita vt non minus illo, quam quoquis alio die libere facere possit quae velit. (conf. Marc. II, 28. Io. V, 17.) Licet igitur Dominus iure optimo et aequissimo sponte sua ac voluntate non sit vhus, cauere tamen illi, atque contra aduersarios et obrectatores veritatem illius atque aequitatem vindicare nunquam destitit. Idem ex eo probatur, quod alibi absolutum ius summamque potestatem in vitam humanae suae naturae sibi vindicat, quam sane nulla natura creata per se aut habet aut habere potest; *ideo amat me*, inquiens,
pater,

pater, quia vitam meam pono ut resumam, nemo mibi illam tollit; pono illam a me ipso, potestatemque habeo illam resumendi. (Io. X, 17.18.) Eandemque ob causam tanquam singulare, et plane extraordinarium Christi factum laudatur; quod, quanquam homo ille Iesus Christus etiam filius Dei unicus et naturalis fuerit, obedire tamen et legi diuinae se subiicere voluerit. Sic enim apostolus, et quanquam, inquit, filius erat, eo tamen quod passus est, obedientiam dicit. (Ebr. V, 8.) Adiungimus adhuc ad rem grauissimi omnino momenti eo magis confirmandam effatum Pauli, (Galar. III, 4.5.) cum tempus impletum esset, inquit, emitis Deus filium suum factum ex muliere, factum sub legem, ut illos qui sub lege erant redimeret. In hac oratione apostolus *to fieri* ex muliere et *to fieri* sub legem accurate distinguit tamquam res duas ac diuersas, atque in persona Christi, qui simul etiam Dei filius erat, minime necessario coniunctas. Aliae enim naturae creatae non solum cum ipso ortu suo, sed etiam propter illum, lege diuina necessario tenentur, nec unquam ea solui possunt; at Christus, teste apostolo, statim quidem ab ortu humano, legi subiecrus est, minime vero propter illum ipsum ortum, sed eam vnicem ob causam, ut alios qui lege tenebantur sua subiectio eximeret; quam proinde subiectio indebitam esse oportuit, quoniam alioqui pro aliis valere nullo modo potuisse. Quod si etiam Christus per se propter ortum humanum, ac proinde simpliciter ac necessario lege obstrictus fuisset, nunquam quoque plane illa solui potuisse, verum in statu quoque suo glorioso illi adhuc subiectus dicendus esset; id quod tamen omnibus fatentibus perspicue falsum et absurdum est, cum S. litterae omnia potius sine villa exceptione illi subiecta adfirment, illo vno qui subiecit excepto. (1 Cor. XV, 27.) Tota igitur Christi sub legem subiectio, omneque obsequium et faciendo et luendo illi praestitum, forma s. similitudine serui continetur, quam apostolus scite et vocabulo ad rem apto, eum summissè dicit, ad demonstrandum, Dominum a nemine ad id coactum nec lege aliqua adstrictum fuisse, sed sponte se ex Domino in seruum submisisse. (conf. Io. X, 17.18.) Postquam vero Christus semel lege se adstrinxerat, nihil quoque eorum, quae bonum ac fidelem Dei seruum decent praetermittere, sed potius omnes officii numeros obire voluit. Hinc omnia quae fecit ac locutus est, patris auctoritate et imperio fecit ac dixit; frequentissime testatus, se non suae sed Dei voluntati obtemperare,

nec suae sed patris gloriae et dignitati vnicē seruire. (conf. Io. V. VI. VII. VIII. XVII.) Licet enim certissimum per se ac verissimum sit, Christum sua sponte quoque ad ea omnia, quae pro mortalium salute fecit, plane propensum, ac proinde summa sua voluntate ad illa exsequenda paratissimum fuisse; in illa tamen humili conditione non tam suam quamvis propensam, sed potius patris voluntatem et imperia in consilio habuit, et ad illius arbitrium omnia retulit, obsequii sibi gloriam, serui conditione adhuc viuenti sufficere ratus.

Nec minus ad serui similitudinem, ad quam Christus se conformauit, illud pertinet, quod hominibus quoque earumque legibus paruit nec se illis temere vla in re soluit; si modo euenta nonnulla singularia excipias, vbi demonstrandae maiestatis diuinae necessitas, ac singularis plane muneri ipsi demandata ratio et dignitas illud postulabat. (conf. Io. IV, 25. Matth. XXI, 12. Luc. II, 43. 48. 49.) Si vero constantem virae tenorem ac perpetuitatem spectemus, in eo quoque similitudinem serui gessit, quod hominum iustis imperiis libenter paruit, nec praecipui aliquid habere voluit. Hinc diserte parentibus dicitur subiectus et obediens fuisse; (Luc. II, 51.) qua subiectione sine dubio etiam illud significatur, quod curas et labores domesticos non defugerit, nec infra se dignitatemque suam putauerit. Tota denique vitae, quam suscepto publico docendi munere egit, laboriosa ratio ac molestiae plena, magnam cum conditione seruili similitudinem habuit. Fame, siti, vigiliis, aestu, molestis itineribus fatigari; stultitias non solum et ineptias, verum etiam grauissimas hominum iniurias tolerare, nec facile magna et longa molestiarum interualla curarumque laxamenta habere; haec omnia ita sunt comparata, ut satis appareat, Dominum illud esse voluisse ac reuera fuisse, quod dicebatur, serui scilicet persona indutum. Quibus tandem omnibus illud etiam accedit; quod Dominus haec omnia non sibi sed nobis praestitit. Proprium enim hoc erat conditionis seruulis, vt, qui ea viuebant, nihil plane sibi, sed omnia Dominis praefarent et acquirerent; sic Dominus plane non sibi, sed nobis vnicē et viuens et seruiens, hac quoque in re serui partes implere non dubitauit. Id quod ipse discipulis significatur *filius hominis*, inquit, *non venit ut exigeret ministeria, sed ut ipse praestet, vitamque suam pro multorum salute profundat.* (Matth. XX, 28.)

Tertio

Tertio denique, ut supra diximus, forma s. similitudo serui a Christo sumta, in ultimis illius actis atque euentis, maxime conspicua cernitur. Veritatem his dictis nostris constare facile apparet, si primo attentius considerauerimus, quomodo se ipse ad supremam sua praeparauerit, et quid tunc maxime egerit et cogitauerit; deinde quid et egerit et pertulerit malis et cruciatibus iam irruentiibus, ac denique si supplicii, quo adfectus est, genus cogitauerimus. Quod ad primum, scilicet ad praeparationem a Domino adhibitam attiner, primo loco commemorandum est, quod Dominus appropinquate tempore excessus ex hac vira a parte definito, ipse se obtulit hostibus suis, gnarus licet eorum omnium, quae sibi euentura essent; quod sane indicum promissimi erga patrem fidelemente seruum decentis obsequii fuit. Maxime vero mirabile et stundum plane seruili submissionis documentum est, quod Dominus paucis ante obitum diebus edidit, simulque rationem facti adeo inauditi redditurus, haud obscure significauit, se sumtae a se formae s. similitudinis serui, aeternum quasi monumentum constitueret voluisse. Dicimus scilicet coenam illam memorabilem, (Io. XIII.) super quam Dominus, ministeria serui praestiturus, discipulis et ipsis quoque perditissimo proditioni pedes lauit; cuius facti mysteriis plena rationes redditurus, vos appellatis me, inquit, magistrum et Dominum, et omnino recte facitis, sum enim omnino; si ergo ego vobis pedes laui Dominus ac magister uester, vos quoque debetis invicem pedes lauare; exemplum enim vobis dedi, ut vos quoque faciatis sicut ego feci; amen, amen, dico vobis, seruus non est maior Domino suo, nec legatus maior eo, qui misit illum; si haec nos sis, beatis estis, si illa facitis.

Videndum vero porro, quid et egerit et pertulerit, malis et cruciatibus iam praesentibus, et quae serui similitudinem perspicue in eo declarant. Primo itaque loco commemorari meretur, quod instar serui ab aliquo discipulorum, omnium mortaliuum facile deterrimo atque infelicitissimo venditus est triginta siclis, quanti fere serui apud Iudeos venire solebant: traditus vero iam in hostium potestatem indignissima quaeque, colaphos, flagra, verbera, spuma pertulit, ac proinde nequissimi serui instar habitus est liberrimus ac summus omnium rerum Dominus. Nec etiam praetermittendum est, in commemorandis iis, quae serui forma continentur, quod Dominus grauissimis animi doloribus nostra vice excruciatus,

se humi prostravit, atque inter ploratus vehementissimosque, quos dolor exprimebat, clamores, auxilium patris implorauit; quam submissionem lamentabilesque voces apostolus alibi (Ebr. V, 7. 8.) ea obedientia diserte comprehendit, quam Christus praefitit; *in diebus carnis suae*, inquiens, *precationes iuxta atque supplications, ad eum, qui posset ipsum seruare ex morte, cum clamore valido et lacrimis obtulit, et exauditus est ab horrore, atque adeo, quantum filius erat, obedientiam didicit.*

Supereft iam vt moneamus; quomodo etiam ipso vltimi supplicii genere, quo Christus adfectus est, declaratum sit, formam serui ab ipso fuisse sumtam. In vulgus scilicet notum est, seruos improbos, inprimis vero illos, qui Dominos violauerant, cruci fuisse adfixos. Erat ergo crux supplicium seruile, quo homines ingenuos et liberos adficere apud Romanos nefas habebatur. Dominus vero, mortalium licet innocentissimus, etiam hoc modo inter maleficos se referri passus est; hinc omnia quoque pertulit, quae cum hoc supplicii genere coniuncta esse solebant; virgis quippe ante caelus & furcam ferens ad mortem duxrus: quam ad rem apostolus quoque animos nostros conuertere voluit, (*c. 8.*) *obedient factus est, inquiens, usque ad mortem, et quidem mortem in cruce.* Restat iam tertia disputationis nostrae pars, fines demonstratura, ad quos ea omnia, quae serui forma continentur, cum a Deo et Christo relata sunt, tum etiam a nobis ex consilio Dei referri debent. Primum ergo fines a Deo et Christo ipso propositos exquiri oportet. Primo itaque hac forma serui a Christo sumta cunctis mortalibus miserrima iporum conditio spiritualis ob oculos ponit debitur; quoniam enim Christus in omnibus, quae fecit et perpessus est, nostro loco constitutus fuit, ac proinde non suas, sed nostras partes egit; ex eo consequi necesse est, totum humanum genus in seruitute peccati atque idcirco in grauiſſima apud Deum, propter nefariam desertionem, offensa, omnibusque legis diuinæ poenis obligatum fuisse. Forma igitur serui, in Christo Domino nostro confecta, nunquam non speculum nobis esse debet, in quo atrocitatem seruitutis peccati cernere atque auersari decet. (*cf. Io VIII, 34. Rom. VI, 16 20. VII.*) Secundo Dominus ideo formam serui sumvit, ut miseros mortales a seruitute peccati, diaboli, mundi, poenarumque legis diuinæ liberarer, ac proinde grauissimo seruitutis iugo a cervicibus nostris depulso, iustitiam, vitam, atque adeo

adeo veram etiam libertatem nobis restitueret. Huc enim omnia
vel maxime spectant, quae Dominus noster per omnem vitam et
agit et pertulit. Euohui volumus, et pie a vobis expendi, quae
breuitatis causa hic inferere non licet, grauissima s. litterarum tan-
tra de re testimonia. (Io. VIII, 32. 36. Rom. III, 19. 23. 24. c. V, 17.
18. 19. Rom. VII, 4. 5. 6. c. VIII. Galat. I, 4. c. III, 13. c. III, 4. sqq.
Coloss. I, 20. sqq. Tit. II, 14. Ebr. II, 14. Luc. I, 71 74. 1 Petr. I, 18.)
Terrio id sibi propositum habuit Christus forma serui, cum filius
esset, adsumta; vt nobis in primis ius liberorum Dei impetraret;
ita vt Deus non solum nos, data peccatorum venia, in gratiam re-
cipere, verum etiam benevolentiam suam plane paternam
in nos conferre, nobisque Spiritum S. amoris illius testem, inter-
pretem, ac pignus tribuere posset; ex quo consequitur, vt nos
quoque inuicem bono ac fiduciae pleno animo erga Deum esse, ad
eum accedere, et cum eo, sicut liberi cum parentibus, depulso ac
detracto seruili menu, versari queamus. Inter tot praeclaras s. lit-
terarum testimonia, sufficiat nobis effatum Pauli, haec omnia per-
spicie, cum ex ipso ortu Christi, tum ex forma serui ab ipso sum-
ta, ducentis. (Galat. III, 4. 5.) tempore impleto, inquit, emisit
Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub legem, vt illos, qui
sub lege erant, redimeret, nosque adoptionem impetraremus. Quo-
niam itaque liberi estis, Deus misit Spiritum filii sui in corda ve-
stra, qui clamat Abba pater. (cf. et Rom. VIII, 14. 15. 1 Cor. II, 10.)
Quarto illud quoque forma serui sumta egit, atque etiam perfe-
cit Christus, vt ius suum in res omnes ad nos quoque transferret;
vt cum per nos omnibus rebus careamus, per illum omnibus abundemus,
dum enim ipse vsum rerum etiam concessarum sua volun-
tate depositus, eo ipso nobis, quibus ire illis interditum erat,
cuncra illa rursus libera et concessa fecit, remque eo perduxit, vt
nobis iam rursus res omnes creatae seruire vsumque praestare,
imo illa ipsa, quae alioqui mala ac formidolosa videntur, prodesse
nihilominus et seruire debeant. Hinc apostolus (1 Cor. III, 21. sqq.)
Omnia vestra sunt, inquit, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas,
sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia
vestra sunt, vos vero Christi, Christus autem Dei. (cf. Rom. VIII,
28. 2 Cor. VI, 8. sqq. Philipp. I, 21. 1 Tim. III, 4. 5. Tit. I, 15.)
Quinto denique formam serui sumit ac proinde durissima ac con-
templissima conditione vixit Christus, vt, quod ad aeternae salu-
tis

ris ineundaeque gratiae diuinæ rationes attinet, omnia inter mortales discrimina, ad hanc vitam illiusque statum pertinentia tolleret, omnibusque etiam vilissimis, pauperimis, ac contempsimis, eadem, quae summis ac diuitiis, honoribus et gratia valentibus, iura spiritualia impetraret; hinc *in ipso*, apostolo teste, *nec iudeus, nec graecus, nec seruus, nec liber, nec vir, nec mulier; omnes enim vt unus sunt in Christo Iesu.* (Galat. III, 28.) et alibi seruos ad officium erga Dominos impellens, hanc caussam impellentem subiicit; *Salutaris enim gratia Dei apparuit omnibus hominibus cet.* (Tit. II, ii. cf. Col. III, ii. III, i. 1 Cor. VII, 21. 22.)

Videamus vero nunc etiam adhuc breuibus, quid ex consilio diuino nostri officii sit, dum formam serui a Christo sumtam intuemur. Primo ergo illud maxime ad officium nostrum pertinet, vt Dominum, signo quasi salutis sublato, ad veram libertatem a seruitute ac tyrannide peccatorum, diaboli, mortis et mundi, nos revocantem, libenter audiamus; iugum illud graue, illo vindice, auctore, duce, adiutore excutiamus; iure libertateque, quam ipse sua seruitute nobis peperit, legitime atque ex illius praescripto vramur; iugo vero illius leni atque imperio aequissimo nos submittamus; serui iustitiae fiamus, illique vnice viuamus & moriamur, qui nobis vnice vixit, ac pro nobis vnice mortuus est. (cf. Matth. XI, 29. 30. Rom. VI, 17. 18. 22. Galat. V, 1. 13. 2 Cor. V, 14. 15. c. VI, 14. sqq. Rom. XIIII, 7. sqq. Galat. I, 4.) Secundo forma serui a Christo sumta, ad studium verae demissionis animi quam maxime nos impellere, ambitionem omnem, superbiam, arrogantiam, vanitatem, elationem animi gloriae cupiditatem comprimere, nobisque execrabilem reddere debet. Sic enim apostolus (Rom. XII, 16.) *ne res altas sectemini, sed demissa sequamini; ne vos ipsis prudentes existimatis,* (cf. c. XV, 1. 2. 3.) et alibi (Galat. V, 26.) *ne cupiditate vanae gloriae inflammemur, ad iras, inuidias et odia multa concitanda;* et omnium maxime (Phil. II, 3. 4. 5.) *ne quid factatis, inquiens, per contentionem atque ambitionem, sed per demissionem animi, aliis autem pluris faciat quam se ipse; quilibet vestrum ita animatus sit, vt Iesus Christus;* quam hortationem deinde proposito ad imitandum exemplo Christi, qui serui formam sumserit, animis altissime adfigere laborat. Tertio forma serui a Christo sumta hanc modestiam animis nostris adferre debet, vt neminem mortalium propter imbecillitatem, aut generis, nationis, conditi-

conditionis, fortunaeque tenuitatem atque ignobilitatem contemnamus, nedum illudamus. Christus enim, quod ad redemtionem attinet, omnes eodem plane loco habuit. Qui itaque quenquam eas ob causas contemnit, se vero excellentia huiusmodi rerum insolenter effert et iactat, is sane eo ipso prodit, se in Christum, similitudinem serui adhuc gerentem, idem improbe facturum, ac proinde eorum similem furum fuisse, qui apud Iesaiam (c. LIII, 2. 3. coll. Matth. XIII, 54. sqq. Pf. LXIX, 11. sqq.) *Spretus erat, iniquiunt, et cessans virorum, vir dolorum et aduersis clarus; binc tamquam auertentem a se vultum spreuiimus et nibili fecimus.* In hominibus ergo non tam externam fortunam, quam pretium redēptionis spectari eamque ob caussam eos caros haberi oportet. (conf. Malach. II, 10. Hiob. XXXI, 13. sqq. Matth. XVIII, 10. Rom. XIII, 3. 10. c. XV, 1. 2. 3. 1Cor. I, 26. 27. 28.) Quarto forma serui a Christo sumta maxime nos impellere debet, ad libenter omnibus inseruendum, debita cuique officia praestando; ad cedendum libenter alii; in summa, ut libenter nos omnibus per amorem seruos faciamus: (1 Cor. VIII, 19. sqq. Matth. XX, 26. sqq. Luc. XXII, 26. sqq. Io. XIII, 13. sqq.) Quinto quoniam Christus in forma serui, a se sumta, aequo animo ac patienter, indignissima quaeque, maledicta, iniurias, ludibria, nostra vice ac nostra caussa, perpessus nec illa ipse vltus est, imo mala bonis rependit; conficiamus ex eo, nostri quoque officii esse, Christi caussa iniurias potius omnes perferre, quam illius legem violare, exemplique rationem non habere; discamus porro iniurias nobis illatas adeo non vlcisci, ut potius hostibus pariter et cupiamus bene et faciamus, reputantes nobiscum, ut par est, Christum idem in nobis fecisse. (conf. Rom. XII, 19. 20. 21. 1Petr. II, 18. sqq. III, 9. sqq. IIII, 14. sqq. Coloss. III, 12. sqq.) Sexto denique, quoniam Christus persona serui suscepta ac peracta nobis libertatem peperit, animis infixum habeamus, minime nos decere, ut in rebus ad salutem nostram pertinentibus vlli mortalium nos ita addicamus, ut ex illius auctoritate pendeamus; vox Christi potius semper sit et maneat vnica regula veri et falsi, recti ac praui, qua omnes, qui aliquid dicunt, et omnia, quae dicuntur, metiamur et iudicemus. Et quoniam Christus, ut supra commonstrauimus, gesta serui persona, nobis quoque imperium in res creatas, earumque legi-

ximum usum reddidit, caueamus, ne ita iis vitamur, ut non tam habere quam haberi, non imperare sed seruire videamur; memor res potius simus effati apostolici; omnia mibi licent, sed non omnia conducunt; omnia mibi licent, sed non in potestatem redigi me patiar ab illa re. (1 Cor. VI, 12. coll. c. VII, 29. 30. 31.)

Potiora haec sunt, quae de forma serui, a Christo sumta, in praefenti in medium proferre voluimus. Dicta vero a nobis sunt omnia eo consilio, ut animos vestros ad cogitationem earum rerum conuerteremus, Cives optimi, quarum attenta consideratio vos praeparare et potest et deberet, ut monitis nostris paternis obtemperantes, memoriam nati ad salutem vestram communis Seruatoris his diebus recte atque ita renoueris, ut vberimos illos ac dulcissimos fructus re vera percipiatis, quos orsus Christi humanus vniuerso humano generi ac proinde etiam vobis attulit.

Cogitate itaque in primis ardentissimum Christi erga vos amorem, cogitate in usitatum vos seruandi studium, cogitate summa illius atque immensa beneficia, quo etiam de vestro erga illum officio vobis recte constare possit, simulque etiam animi vestri ad illud rite per hos dies praestandum excitari queant. Vos quoque amore suo ab aeterno complexus est Deus immortalis, decreatum de filio in mundum mitendo faciens; vestro etiam bono constituto tempore misit; vobis quoque per euangelium res illa laetissima innotuit, atque etiam denuo his diebus celebrabitur. Vobis etiam Christus natus est, vobisque, vitio excepto, per omnia similis factus, quo fieret misericors et fidelis sacerdos; vobis non sibi id praestitur; quod, licer gaudio frui potuisset, conditionem tamen seruilem subire, mala ac dolores quoscunque perpeti ac denique indignissimam mortem oppetere maluit, ut vobis nobisque omnibus, detractis malis omnibus, omnes solidissimasque gaudendi causas adferret. Haec sunt, quae per hos dies fusi explicabuntur; haec sunt, quibus aures vestrae circumsonabunt; quae vero ipsi quoque vobis proponere, meditari, animisque vestris tamquam faces adhibere debetis, ut desiderio et amore Christi inflammentur. E saxo sculptus sit oportet atque e robore dolatus, quem tantus amor, tamque insignia illius documenta non moueant. Si ergo adhuc aliquid ingenui, si quid

quid humani , in vobis est , si animi vestri nondum plane obdu-
ruerunt ad aequissimas cohortationes , tandem aliquando precibus
nostris apud vos locum relinquire , eaque omnia longissime a vo-
bis remora esse iubete , quibus dies sacri profanantur , quibus no-
men Christi ac Christianorum dedecoratur , quibus salutem ve-
stram oppugnatis , quibus vos hostes bonae ac fanae mentis osten-
ditis . Non est , quod caussas huius cohortationis requiratis ; hospi-
tem enim esse , atque in urbe et academia peregrinari oportet , qui
ea , a quibus vos vocibus nostris reuocamus , non quotidie in-
ter vos adhuc facta esse viderit , audiuerit , et quasi manibus pre-
henderit . Tristissimum quidem nobis est haec commemorare ;
quoniam tam improbi multorum ciuium mores , tanta mentis ad
vera rectaque cæcitas , tanta ad interitum voluntarium ruendi
contentio , non ad gloriam et commendationem Fridericianaæ no-
straæ pertinent . Interim tamen , nefas esset illa dissimulare aut ne-
gare , nedum excusare , quae tam aperte , quae tam improbe fiunt ,
quorumque publica confessio ac solennis derestatio , non solum ve-
stra causa , sed etiam nostra necessaria est , ne probare aut saltē
non satius grauiter dolere videamur , quae academiae , litteris et
Christiano nomini dedecus , vobis vero pestem ac perniciem ad-
ferunt . Nemini vestrum hæ querimoniae nostræ aut fraudi aut
raedio erunt , qui sibi melius conscius est ; imo persuasum nobis
habemus : illos ex vobis , quibus præcordia de meliori luto facta
sunt et in quibus adhuc mica salis est , suos gemitus ac sua vota
nostris iungere , atque idcirco idem quod nos fateri , dolere atque
optare . Qui vero male sibi consciū sunt , quosque se dici , ipsa
malefactorum conscientia conuincit ; illos per Dei immortalis mi-
sericordiam , per Domini nostri Iesu Christi amorem rogamus
atque obtestamur , ut non solum , tamquam serui peccati ac dia-
boli , Saturnalia per hos dies ethnicorum more non agant , verum
etiam iugum illud seruile , durum , exscrable , infame plane ex-
cutiant ; contra autem ad auctorem , vindicem , conseruatorem
que verae libertatis accedant , atque ab eo se liberari patientur .
Suavis quidem vobis videtur indignissima illa diaboli , vitiorum
cupiditatumque seruitus ; sed hoc ex eo fit , quoniam nunquam
vilam partem verae libertatis ac liquidae voluptatis gustastis .
Verum non sufficit praua vitare , oportet etiam recta sequi et agenda
agere .

agere. Utimini igitur, quaesumus vos, egregia occasione vocem Dei audiendi, altissime in animos demittite audita, Spiritum S. vobis, qui Spiritus sapientiae et patefactionis est, a Deo expetite, animumque vestrum illi docilem, flexibilem, et instar cerae quasi sequacem praebete, quo illum corrigere, formare, lumine suo diuino illustrare, et ad amorem Christi inflammare possit. Faxit Deus immortalis, ut nos quoque id serio agamus, atque amore Christi exardescamus, qui vos ad agendum impellere et incendere volumus; faxit idem ille, ut vos quoque id agatis, quos compellat oratio nostra. Huic officio nostro si omnes satisfecerimus, fieri, quod Deo gratissimum, nobis omnibus salutare, Fridericianae vero honorificentissimum erit, ut videlicet dies hi non solum quiete, sed etiam cum laetitia et inter dulcissimas Dei laudes et agantur et exeant, multorumque ex vobis imo omnium ad frugem sanitatemque reditu celebrentur.

P. P. in Regia Fridericiana Pridie natalis Domini.

A. CIO 10CC XXXXVIII.



AB: 153369



56



PIAM AC RELIGIOSAM
NATALIS DOMINI
CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE
PRORECTOR
**SIGISMUNDVS IACOBVS
BAVMGARTEN**

THEOL. D. ET PROF. P. O. SEMINARII THEOLOGICI
DIRECTOR ALVMNORVM REGIORVM EPHORVS REGIAEQVE
ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMBRVM

VNA CVM
DIRECTORE CANCELLARIO
AC RELIQVO
SENATV ACADEMICO
INDICIT
CIVIBVS.

SIMVL
DE
FORMA SERVI A CHRISTO SVMTA
BREVITER DISSERITVR.

HALAE
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI MDCCXXXVIII.